

I N D E X L E C T I O N U M

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

PER SEMESTRE HIBERNUM

A DIE XXI. M. OCTOBRIS AN. MDCCCXXXIII

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

P R A E M I S S A E S U N T

ADNOTATIONES AD NUBES ARISTOPHANIS.

L I T E R I S M I A D L E R I A N I S.

V. 3. Statim ab initio insignem nobis molestiam creat verbum ἀπέραντον, quod si abesset, desiderare nemo. Et Brunckius quidem atque Hermannus ὅσον ἀπέραντον cohaerere volunt, addita explicatione τοσοῦτόν ἔστιν, ὅσον ἀπέραντον: quod ut ab attico scriptore ita dici potuerit (nam formulas οὐράνιον ὅσον, θαυμαστὸν ὅσον alienissimas esse recte confirmat Reisigius), at nimis artificiosum est. Quo minus autem cum eodem illo Hermanno, viro praeclaro, suspicer, ἀπέραντον ex interpretatione nasci potuisse, vox ipsa impedimento est, doctior illa, quam pro interprete. Jam Ernestii explicatio *Proh, quam longae sunt noctes! plane infinitae* et sua simplicitate commendatur, et loco Ran. 1276 ὡς Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν κόπων ὅσον, et auctoritate Themistii Paraphras. in Aristotel. Phys. libr. IV p. 45 Ald. ac Polybii Sardiani in l. περὶ ἀκυρολογίας, qui secundum versum solum attulerunt. At tum, ut verissime Hermannus, valde friget ἀπέραντον, tum quod plus, aut non minus certe secundo versu continetur, quam initio tertii, tum quod neutrum adjectivi per se positum mire discrepat a longo, qui antecedit, senario. Taceo de singulari Reisigii iudicio ἀπέραντον; scribentis cum interrogatione. Ego vero magnopere miror, Viros Doctos tam cupide alteram lectionem ἀπέραντον recepisse, vulgatam vero ἀπέρατον, qua nihil verius esse censeo, plane adspernatos esse. Primum ἀπέρατον recte existimanti videbitur testes habere meliores. Quanquam enim ἀπέραντον in plerisque Codd. legitur, veluti in sex MSS. Dobrei et vero etiam in Ravennate, opportune tamen ἀπέρατον, quod in aliis libris est ut in Veneto illo, Scholiasta et ex eo Suidas v. ἀπέρατον quum retinent, tum vero haec adjiciunt, οἱ δὲ ἀπέραντον μετὰ τοῦ νῦ γράφοντες ἀμαρτάνονται: ex quibus clarissime patet, ἀπέρατον pro antiqua lectione, contra ἀπέραντον pro opinione grammatici Alexandrini unius pluriumve habendum esse. Neque enim hujuscce mutationis auctores significationem verbi ἀπέρατον a περᾶν derivandi percepérant. Tu compara Euripidis locos, Andromachae v. 102 περάσας ἡμέραν, et Medeae v. 645 δυσπέρατον αἰώνα. Scilicet bonus Strepsiades, nox est, inquit, insuperabili transitu, ne confidere quidem eam licet, sive, ut Germani loquimur, 's ist doch gar nicht drüber wegzukommen. Is post ejulationem miratur, quam longa res sit noctium (τῶν νυκτῶν, quasi jam novus Hercules ab Jove seratur, non τῆς νυκτός), deinde transiri eam posse prope desperat, tum alio rursus quasi gradu facto indignabundus quaerit: nunquamne dies illucescet? Contra ἀπέραντον, quod hic quidem ferri nullo modo potest, grammatici isti fortassis ex hac ipsa fabula v. 392 sumserunt. Ita nos rem melius, uti spero, confecimus, quam Strepsiades noctem.

v. 4. Videri potest πάλαι τἀλεκτρυόνος scribendum esse, ideo quod plerumque articulus ponitur in locutione ὁ ἀλεκτρυὼν ἄδει ac similibus. Nam in hujusmodi locis, quales sunt Eccles. 591 aut Lucian. D. Meretr. XI, 5 ἀλεκτρυὼν spiritu aspero reponere licet. Haud sciām tamen, an non minus recte habeat ἀλεκτρυὼν φθέγγεται sine articulo: est enim fere incertum, domesticusne gallus cecinerit, an cujuspiam vicini. Plures enim galli simul

canere possunt: quare nonnunquam pluralis numerus substituitur, ut in Luc. De Merc. Cond. c. 50 ὅπο δ' ἀλεκτρυόνων ἀνεγρόμενος et Philopseud. 14 ἄχρι δὴ ἀλεκτρυόνων ἡκούσαμεν ἀδόντων. Atque etiam hoc nostro in loco Simplicius ad Phys. IV p. 167, qui hos versus affert non nominato Aristophane, pro ἀλεκτρυόνος legit ἀλεκτρυόνων.

v. 7. ὅτι οὐδὲ] Sic est et apud scholiastam et in omnibus, puto, codicibus, nisi forte nonnulli e Brunckianis ὅτι οὐδὲ habent. Sed ὅτι δ' οὐδὲ legi in scholiis ad Aristidem p. 373 ed. Frommel. monet Hermannus. Et ὅτι τ' οὐδὲ vel ὅτι δ' οὐδέ mavult Brunckius, ut Nub. 1513 et Eccles. 659 legitur. At hic ὅτι δ' οὐδέ, quod non est similia copulantis, sed opposentis diversa, tolerari non posse Hermanno adsentior, non item illud, videri πολλῶν οὐνεκα ea vi usurpatum esse, ut valeret *omnino*. Nam hic quoque ratio redditur illorum multorum, non quidem voce ὅτι', sed per οὐδέ, quippe quod sit, ne hoc quidem, *ut alia mittam*. Ὁτε etiam particulam esse mere causalem nonnullorum praeceptio est, in his Matthiae Gr. Gr. p. 1268 ed. II, sed, ut opinor, falsa. Quum enim semper gravis quaedam causa et valde perspicua insequatur, vocem ὅτε potius significare arbitror, si, de quo nemo dubitet, ὅτε γε vel ὅτε — γε siquidem, quandoquidem, ὅτε καὶ si vel, si adeo ὅτι οὐδὲ si ne hoc quidem. Ita ὅτε simpliciter ponitur Nub. 716, ὅτε γε autem Lysistr. 421, restituendum illud in Pluto v. 575 ὅτε γε Σητεῖς, ubi multi Codd., etiam RV. ὅτι γε praebent, Porsonus vero male scripsit ὅτιν Σητεῖς —. Ὁτε — γε invenias in Nub. 1218 et Pac. 1244, ubi γε deest in RV, Aristophanes autem fortasse scripserat, ὅτι ἀντὶ τῶνδε γ' ἀντέδωκα μνᾶν ποτέ. Ὁτε καὶ exstat in Nub. 1474 et Ach. 622 οὗτος δ' — ὅτε καὶ —. ubi insolitam syntaxin ferre malo, (Ran. 21 ταῦτ' — ὅτε) quam editionis Kusteriae vitium ὅτι καὶ. Ὁτ' οὐδὲ, sicut h. l., est in Pac. v. 196, ubi ὅτι legitur in V. Ceterum ὅπουγε quum adeo paullo majorem habet, quam ὅτε γε vehementiam, ut in Menandro p. 107 et p. 251 Mein. Denique comparari potest Latinorum vocula *ubi* in loco parum ab interpretibus intellecto, Horat. Od. II, 13, 53. Quid mirum, ubi —. Hoc est graece τί θαυμαστόν, ὅπου καὶ —.

v. 10 ἐγκεκορδυλημένος] Vide Creonem ap. Suid. s. Ἐγκεκορδυλημένος et Etymol. M. 310, 53. Male hic intpp. et Schneiderus in Lexico. Κορδύλη fuit vox Cypriaca significavitque πρώβυλον Atheniensium, quo utebantur nobiles juvenes, qualis ob matrem Phidippides, κίδαριν autem Persarum. Ergo sic interpretor, cubans in quinque stragulis superjectis, utens eis quasi quodam crobylo, quum prae tot lodicibus vix conspici posset. Synesius, cui multum tribuit Schneiderus, Aristophanem non intellexerat. Comparat lodices cum crobylo et ad crobylum respicit, quod fuit εἶδος πλοκῆς ἐπ' ἀνδρῶν εἰς ὁξὺ ληγούσης (vide Schol. Vesp. 1267 et prae caeteris Thucyd. I, 6.) Converte, in jūnf seine Welse eingethürmt. Videtur significatio v. κορδύλη crobylus prima fuisse, translata demum ad quemvis

tumorem vel tuber. Veruntamen consideranti ea, quae de *κιδάρι* Persarum accepimus, h. l. ita potius videbitur interpretandus esse, pedit quinque stragulis superjectis atque caput obiectus galero nocturno, in fünf *Velzen* und in der *Schlafrmücke*. Optio sit docti lectoris. Praeterea Photius 555, 9 et paullo ante exhibet *συγκεκορδυλημένα* (cf. Dobreum Adversar. p. 609). Sed nemo propter istos Photii locos in Aristophane scribere audebit *συγκεκορδυλημένος*.

v. 12 Vitoise Reisigius distinxit εῦδειν δακνόμενος, ὑπὸ (prae) —. Primum enim sic putide cumulantur et nominativi bini δεῖλαιος — δακνόμενος et praepositiones ὑπὸ — διὰ —, deinde δακνόμενος verbum late patens solum vix intelligas, tum voces δακνόμενος ὑπὸ ordine et loco conjunctae opinione divellendae non sunt, denique non si crebro illud usurpat, *non possum dormire prae aegritudine*, idcirco etiam ita dicere licebit, *non possum dormire prae sumtu aut prae sepi*. Idem Reisigius in v. χρεῶν sono ad κόρεων alludi me quidem invito cum scholiasta existimat. Ita vero constantiae erat, vv. δακνόμενος ὑπὸ — τῶν χρεῶν mordeor quasi a cimicibus quibusdam continuare. Illud in medio relinquam, utrum extremae voces διὰ τ. τ. v. ad prius membrum οὐ δύναμαι — εῦδειν, an ad posterius δακνόμενος — referenda sint: sed nimirum videntur mihi quodammodo ad utrumque eorum pertinere.

v. 15 „Theophyl. Epist. 65. ὁ Γοργίου παῖς ἡμᾶς ἀδικεῖ· ξυνωρικεύεται γὰρ ἵππαζόμενος, ὁ παμπίλαρος.“ Berglerus.

v. 21 φέρ' ἵδω τὶ ὁφείλω] Quam ob causam hic dici nequivicit φ. i. τὶ δ' ὁφείλω, ostendimus ad Acharnenses v. 4. δώδεκα μνᾶς Πασίχ] Pasiam equis alendis patrimonium effusisse atque in aes alienum incidisse ab antiquis scholiastis traditur duobus. Qui tametsi in eo suos quosdam auctores plane videntur sequuti esse, tamen in tali re cuivis vel domi cogitata afferenti fidem decet haberi. Est enim lepidissimum, magnae pecuniae creditorem eum inducere, qui non modo nummum jam diu nullum comoverit, nisi alienum, verum etiam eadem, qua debitoris filius, rei equestris cupiditate bona amiserit. Simillima mox v. 31 Amyniae causa reperietur. De Pasiae aequitate vide infra v. 1215 sqq.

v. 22 τοῦ —; τὶ ἔχρησάμην;] Haec ejusdem sententiac repetitio ad eum adcommodata est, qui novi quid cognoscere pervelit. In Acharn. v. 790 recte olim scribebatur *M. Δικαιόπολι, Δικαιόπολι, φαντάζομαι.* Λ. ὑπὸ τοῦ; τὶς ὁ φαίνων σ' ἔστιν; Eurip. Scyriis p. 321 Matth. πρὸς τοῦ; τὶς αὐτὴν πημονὴ δαμάζεται; Cyclop. 229 ὑπὸ τοῦ; τὶς ἐς σὸν υρᾶτ' ἐπύκτευσεν, γέρον; Soph. Philoct. 1221 τὶ φῆς, Ἀχιλλέως παῖς; τὶν' εἴρηνας λόγον; v. 1226 τὶ φῆς; τὶς ἔσται μ' οὐπικαλύσσων τάδε; v. 1248 τὶ μ' ἔκκαλεῖσθε; τοῦ κεχρημένοι, ξένοι; | ὦ μοι νακὸν τὸ χρῆμα. Hic Sophocles verba κεχρημένοι et χρῆμα de industria copulavit, Aristophanes autem verbo ἔχρησάμην simul respicit ad χρέα, vel etiam χρήματα. Ple-

rique intpp. ἐχρησάμην a v. χρῆσθαι repetunt convertuntque, *quomodo usus sum illa pecunia?* Sed Bosius Obs. Crit. p. 62 sq. a κιχράναι tanquam a fonte suo ducit ἐχρησάμην, hac sententia: *pro quanam re XII minas Pasiae debeo? quam ob causam eas sumsi mutuas?* Antiatticista Bekkeri 116, 11 χρήσασθαι: ἀντὶ τοῦ δανείσασθαι. Ἀντιφάνης. Grammaticorum sententia, qui ἐχρησάμην hoc modo ab Atticis usurpatum esse negaverant, omni caret ratione. Ac certe Activum χρῆσον saepenumero legitur in Aristophane. At vero secundum Bosii explicationem hic versus battologia est mera, quoniam prius membrum τοῦ (όφειλω;) postriusque τὸ ἐχρησάμην; nihil differunt. Recte igitur caeteri V. D., quorum Spanhemius aptissime contulit (Demosth.) In Timoth. 4, 7 et 44, 5 Bekk. v. 25 ὅτους πριάμην] Scribebatur ὅτ' ἐπριάμην. Συνῆκα vel συνῆχ' ante ὅτ' multi quidem libri adjiciunt, sed non Ravennas, non Venetus, non denique optimus quisque. Porsoni conjectura, συνῆκ' ἐπριάμην κόππατίαν placuit Dobro. At jure miratur Hermannus, manifestam interpretis glossam defendi, articulum, necessarium illum ut de certo equo, expungi. Ad librorum scripturam nova accedit Suidae auctoritas, qui τούτους πριάμην allatus pro eo scripsit ὅτ' ἐπριάμην, versibus Nub. 25 et 863 temere confusis. Nihilominus mihi persuadeo, ab initio hujus senarii factum esse vitium. Primum enim ὅτ' (*tum scilicet aes alienum contraxi,*) quum subito venit nullo exspectante, obscuritate quadam laborat et ab egregia illa Aristophaneae dictionis facilitate procul abhorret. Deinde vero senex tempus definit praeter necessitatem, illud non dicit, grandem illam pecuniam pro equo coppatia totam esse redditam: vel sic enim illo tempore potest equum aliquanto minoris emisse. His maxime de causis scripsi ὅτους πριάμην, emendatione vix dubia. Hoc enim sentit Strepsiades, τοῦ (όφειλω) δώδεκα μνᾶς Πασίᾳ; — τούτου δφειλω, τούτου ἐπριάμην τ. κ. Ita non solum τοῦ; atque ὅτου concinne ad se invicem referuntur, sed ne infinitum quidem pronomen ὅτου de certa pecuniae summa offendit, quia homo sibimet ipse respondet. Syllaba ον eo facilius interire poterat, quod supra τοῦ positum est, nisi forte librarii hanc syllabam pessime eliserant. Ad sententiam aequa commoda est altera conjectura mea οὐ γ' ἐπριάμην, sed et minus ad mutationem lenis, et genere toto non necessaria. Cum verbis ὅτου πριάμην ob syntaxin confer Acharn. 661 οὐ μ' ἐχρῆν σορὸν πριάσθαι, τοῦτ' ὀφλὼν ἀπέρχομαι. Ceterum Scholion ad h. l., de quo Scaligerus, Salmasius et Hermannus disseruerunt, sic explico: κόππατίας ἵππους ἐκάλουν, οἰς ἐγκεχάραπτο τὸ ζετοιχεῖον (vel σημεῖον), ὡς σαμφόρας τοὺς ἐγκεχάραψενος τὸ Π. τὸ γάρ Ζ καὶ τὸ Π χαρασσόμενον σαμπῇ ἔλεγον. Sic recte V. D. Signum κόππα bis apud Hesychium dicitur rho inversum, κόππα τὸ ἀνεστραμμένον P id est q vel ȝ. Ex Inscriptionibus Boeckhius etiam affert formam ȝ. Vetus π̄i non est Π sed ΙΤ nec sigma vulgare dicitur, Ζ, verum antisigma Ο. Apud Suidam lege fere

cum Hermanno, ὡς σαμφόρας τοὺς ἐγκεχαραγμένους τὸ **Π** τοῦ Ζ καὶ Π χαρασσομένων ἐν ἀλλήλοις. δὰν γὰρ ἔκεινοι τὸ σ ἔλεγον. Pro ἔκεινοι dicere debebat οἱ Δωριεῖς. Sequitur locus perdifficilis: συνεδευμένου γὰρ τοῦ κ καὶ σ τὸ σχῆμα τοῦ στ ἀριθμοῦ δύναται νοεῖσθαι, οὐ προηγεῖται τὸ κ. καὶ παρὰ γραμματικοῖς οὐτω διδάσκεται, καὶ καλεῖται κόππα ἐνενήκοντα. Hoc quidem apparet, legendū esse συνεδεῖσθαι, γὰρ τοῦ Π καὶ Ζ τὸ σχῆμα τοῦ **Π**. Sed quid significant verba οὐ προηγεῖται τὸ κ? Hermannus ea revocat non ad numerum praecedentem, sed ad literam ἐπίσημον: nam inter has literas coppa esse ante sampi, ordine hec: bau, *coppa*, *sampi*. Cui explicationi adversari videntur verba ἀριθμοῦ et ἐνενήκοντα. Scaligerus corrigit, οὐ προηγεῖται τὸ π referens ad figuram **Π**, in qua π̄ praecedere, antisigma sequi. Mihi contra sigma praecedere videtur, unde vocarunt sampi, non pisan. Suspicabar igitur, οὐ προηγεῖται τὸ Ζ i. e. in sampi praecedit san. Sed tum malis ἐν φῷ προ οὐ et antea τὸ σχῆμα τοῦ π̄ sive Π. Et vero gravem errorem commisisset grammaticus, si sampi habuissest pro litera π̄, leviter annexo san. Nam contra san praevalebat et nomen sampi accepit ob similitudinem τοῦ π̄ et ideo, ut a vulgari sigma distingueretur. Nunc puto, verum vidiisse Salmasium, qui οὐ προηγεῖται τὸ φ̄ ad ordinem episemorum in alphabeto graeco retulit. Scilicet grammatici graeci κόππα dicebant rho inversum φ̄: in alphabeto autem rho proxime antecedit literae sigma. π̄ est 80, κόππα 90, φ̄ 100, σίγμα 200, sampi 900. Sed rho vulgare fortassis etiamtum ignotum erat. Γραμματικοὶ et γραμματισταὶ apud Suidam non sunt calculones, ut Scaligero visum est, sed grammatici et ludimagistri graeci. Ac mansit etiam concinnitas quaedam in numeris coppa et sampi, quorum illud valet 90, hoc 900. Nimirum sampi quanquam numerum habet multo majorem, quam sigma, tamen natura sua non est nisi forma literae sigma antiquissima, ut φ̄ rho fuit antiquum et inversum: atqui proxime antecedit rho ante sigma. Atheneaus X p. 454 narrat, antiquam formam literae sigma scythico areui similem fuisse h. e. **Π** sampi. Unde alii σαμφόρας derivant a san dorico sigma, alii a sampi, sigma antiquissimo.

v. 24 ἐξεκόπην] Non placet Kusteri correctio ἐξεκόπη, probata Dukero, Welckero, Beckio, Vossio, et qui eam acute defendit, Hermanno. Quibus prima persona oppugnata est argumentis, ea mihi imbecilla videntur omnia. Equo emendo non oinne quidem aes alienum contraxit Strepsiades, sed partem et longe maximam et eam, de qua nunc unice cogitat. Neque acumen in vv. κόππατίας et ἐξεκόπην situm ita corrumpitur, sed manet et literarum similitudo et sententiae, quae hic quaesita est. Mallem, inquit, oculum meum ἐκκοπῆναι, quam emisse κοππατίαν. Nam persona quoque eadem manet, quae fuit antea, ἐπριάμην τ. κ. atque ἐξεκόπην. Quodsi hujus mali auctorem diris devovere placuerat, profecto sibimet ipse diras imprecari debebat. Hermannus quidem, si oculus

equo, inquit, antea excussus fuisset, noluisset eum emi Phidippides. At quidni filius alijum potuit equum emere oculis integris? Tum optare debebat: utinam omnibus equis oculi excussi essent. Imo ne id quidem sufficit. Nam si omnibus equis oculus excussus esset, non deterreret amplius id vitii ullum emtorem. Mihi quidem frigida videtur haec sententia: mallem equum esse unoculum (*ἐκκοπέντα*), quam a me emtum istum coppatiam. Contra satis placet illud: quovis me mallem infortunio mactatum, quam equum istum emisse. Praestaret *ἐκκοπῆναι*, quam coppatias. Cum librorum scriptura, in qua εἰδ' — πρότερον non est *utinam antea* sed *utinam prius, citius* compara hos locos Hor. Satir. II, 5, 35. Eripit quis oculos citius mihi, quam te! Contemtum cassa nuce pauperet. Plaut. Menaechm. I, 2, 46 oculum ecfodito persolum | Mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo, nisi quod jussesis. Ar. Acharn. 92 τὸν βασιλέως ὄφθαλμόν.. ἐκκόψειε γε | κόραξ πατάξας, τὸν γε σὸν τοῦ πρέσβεως.

LECTIONES PROFESSORUM PUBLICORUM ORDINARIORUM.

IN · FACULTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS *privatum*

- 1) senis per hebd. dd. hora VIII — IX. *theologiam dogmaticam* tradet;
- 2) quinis per hebd. dd. h. IX — X. *historiam dogmatum* enarrabit. Publice in Seminarii sodalitio *homileticen* praecipiet, et sodalium *homileticas et catecheticas exercitationes*, more consueto, moderabitur.

D. ANTONIUS THEODORUS HARTMANN *privatum*

- 1) hor. IX — X. quinis per hebdom. diebus *Genesin praemissa introductione hist. critica* explicabit; 2) hor. XI — XII. *Encyclopaediam et Methodologiam Theologicam* docebit; 3) hor. II — III. *Theologiam moralem* ex libris Vet. et Nov. Test. haustam tradet.

D. IO. PHIL. BAUERMEISTER, 1) quinis per hebd. dd., hor. X — XI., *Pauli epistolas ad Ephes.*, *Col.*, *Phil.*, *Tim.*, *Tit.*, *Philem.* et *Hebraeos* cum scriptis Jacobi, Petri et *Judee* interpretabitur. 2) Hor. XI — XII. praincipiarum ecclesiae christianaee partium *systemata dogmatica* inter se comparabit.

D. CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS FRITZSCHE

- 1) *privatum* quinis dd. h. X. *scripta Johannis et Apostolorum Acta* interpretabitur; 2) *privatum* quaternis dd. h. IX. *Theologiam moralem* docebit; 3) *privatum* quaternis dd. h. VIII. *Dicta classica V. et N. T.* explanabit; 4) *privatissime* tempore constituendo aut de *difficilioribus quibusdam N. T. facias* cum *Commilitonibus* latine disseret, aut *critices in N. T. factandas praecepta in artis formam redacta* cum iis communicabit.

IN FACULTATE JURIDICA.

D. FERDINANDUS KAEMMERER tradet *Pandectas*,
excluso jure hereditario, duce *Heise*, h. XI. et XII.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER docebit
1) *Processum civilem*, duce *Martin*, h. X. 2) *Jus ecclesiasticum*,
duce *Wiese*, h. III.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER tradet 1) *Jus Germanicum privatum*, duce *Eichhorn*, h. X. 2) *Jus publicum et privatum Megapolitanum*, ex schedis suis, h. XI.

D. FRIDERICUS RASPE docebit 1) *Encyclopaediam juris*,
duce *Falck*, h. XI. 2) *Jus criminale*, duce *Bauer*, h. XII.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS tradet
1) *Institutiones et historiam juris civilis*, h. X. 2) *partem Pandectarum secundam*, inclusio jure hereditario, h. XI. 3) *Interpretationem aliquot locorum Corporis juris civilis*, ternis diebus, h. II.; 4) *Practicum civile*, ternis diebus, h. II.

IN FACULTATE MEDICA.

D. SAMUEL GOTTLIEB DE VOGEL plura selecta capita e vasto artis medicae campo, ut artem sphygmicam, doctrinam de asphyxiis, conspectum toxicologiae, systematum medicinae recentiorum historiam etc. audituris explicare sibi proposuit, nec non Encyclopaediam medicam cupientibus tradendam offert.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI tradet 1) *Chirurgiam*;
2) *Artem obstetriciam*.

D. HENRICUS SPITTA 1) *Physiologiam* tradet, singulari respectu ad *anatomem comparatam* et *pathologicam* habito, ac 2) *Pathologiae et Therapiae specialis partem alteram*; nec non 3) *Clinicen medicam* moderari perget quotidie.

D. CAROLUS STREMPPEL tradet quaternis h. diebus 1) hor. VIII. *Materiam medicam*, 2) hor. III. *Pathologiam et Therapiam generalem*; nec non 3) *Clinicen medico-chirurgicam* quotidie hor. IX, moderari perget.

D. C. FR. QUITTENBAUM 1) hora II — III. in Demonstrationibus anatomicis *Splanchnologiam*, *Angiologiam* et *Neurologiam* docebit; 2) horis X — XII. in secundis cadaveribus auditores erudit; 3) hora IV — V. alteram *Chirurgiae manualis partem* tradet. Pravissime *Repetitorium et Examinatorium anatomicum et chirurgicum* cupientibus offert.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

P. J. HECKER, Academiae Senior etc., hebetata oculorum acie ostendit se impeditum esse, quominus sequenti hieme scholas aperiret.

GERARDUS PHIL. HENR. NORRMANN privatim 1) *historiam praecipuorum Europae regnum*; 2) *historiam Germaniae pragmaticam*, praeiente a Lindelof, proponet.

J. S. BECK tradet: 1) *Elementa Staticae et Mechanicae*, publice, quater h. III — IV.; 2) privatim, *philosophiam criticam* h. IV — V.

D. HENR. GUSTAV. FLOERKE publice diebus Lun, Mart., Jov. et Veneris, h. II. *Geographiam physicalem* e schedulis suis tradet.

G. MAEHL *Chemiam experimentalem et Pharmaciam* proponet.

ERN. AUG. PHIL. MAHN publice docebit *Elementa linguae Chaldaicae et Syriacae*; privatim 1) *librum primum Mosis* interpretabitur h. XI.; 2) *vaticinia Messiana V. T.* illustrabit h. II — III.; 3) *grammaticam Ebraicam* tradet h. III — IV.

D. JO. RUDOLPH. SCHROETER propter valetudinem, qua premitur incommoda, lectiones semestri hiberno non habebit.

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE 1) *Publice binis diebus h. XI. Oedipum Sophoclis* utrumque breviter illustrabit. 2) *Privatim* quaternis diebus h. XI. *historiam literarum et graecarum et latinarum* explicabit. Denique exercitationes *Seminarii Philologici* moderari perget, in quo *Aves Aristophanis et Phormio Terentii* tractabuntur.

EDUARDUS DAN. HENR. BECKER 1) *Agriculturam* quinis dd. h. IX.; 2) *Culturam silvarum* quaternis dd. h. XII. docebit.

D. V. A. HUBER *privatim* 1) quinis per hebd. dd. hora IX — X. *historiam universalem* inde a principio saeculi XVI. ad finem saeculi XVIII. usque; 2) *historiam litteraturae gallicae, anglicae, hispanicae et italicae* quinis per hebd. dd. hora III — IV. tradet. *Publice* binis per hebd. dd. *historiam poeseos germanicae medii aevi* enarrabit. *Privatissime Linguam anglicam, gallicam, hispanicam, lusitanicam, italicam* docebit.

LECTIONES
PROFESSORUM PUBLIC. EXTRAORDINARIORUM.

D. CAROLUS TÜRK tradet 1) *historiam Romanam*, h. XII.;
2) *Jus feudale commune*, h. II.; 3) publice *Historiam Wisigothorum in Hispania et Longobardorum in Italia*, ad nonum usque seculum, ternis diebus, h. III.

D. FRIDERICUS FRANCKE *privatim*: 1) *Logicam* quinis et 2) *Ethicam* senis per hebdomadem diebus docebit; *publice* vero: 1) *anthropologiam psychicam* et 2) *encyclopaediam et methodologiam philosophiae* tractabit, seorsum quamque disciplinam quaternis p. h. dd.

D. GEORGIUS NICOLAUS BUSCH *privatim* 1) quaternis diebus h. III—IV. *historiam litterarum Latinarum* tractabit; 2) quaternis diebus h. XI—XII. de *syntaxi Graeca* disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. H. KARSTEN hasce offert lectiones: publice 1) *astronomiam popularem* bis p. h.; 2) *privatim geometriam analyticam* quater p. h.; 3) *mineralogiam* quater p. h. Privatissima denique proponit collegia in quavis matheseos et physices parte neque deerit iis, qui in rebus nauticis edoceri velint.

D. HELMUTH DE BLUECHER I. publice de *calore* bis p. h. disputabit; II. *privatim* 1) *Chemiam opificiis agronomicis et technicis applicatam* sexies p. h.; 2) *Zoochemiam* bis p. h. explicabit.

D. EDUARDUS SCHMIDT docebit 1) *privatim: logiken*, quater p. h., hora IV—V.; 2) *privatim: philosophiam religionis*, quater p. h.; 3) *publice: de rationalismo et supranaturalismo, seu: initia philosophica theologiae apologeticae* bis p. h.

LECTIONES
DOCTORUM PRIVATORUM.
JURIDICAE.

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE

I. gratis *lectiones Gajanæ* habebit; II. privatim 1) *processum judiciarium civilem* docebit, et 2) *scholam suam civilem eamque practicam*, more consueto, moderabitur. Offert denique *scholas examinatorias et repetitorias*.

MEDICAE.

D. med. et phil. GEORGIUS FRIDERICUS MOST docebit 1) *gratis*: dieb. Merc. et Saturn. hor. V—VI. *Medicinam popularem* in ductum libri sui: *Gesundheit u. Krankheit*, zweite Auflage, Hannover 1827; 2) *privatim*: quinis per hebd. dd. hor. VIII—X. *Pathologiae et Therapie specialis* primam partem in ductum libri sui: „*Encyklopädie der gesammten medicinischen u. chirurgischen Praxis*. Leipz. Brockhaus. 1853. Band I.“ — Caeterum offert exercitationes et scholas repetitorias medico-practicas.

D. C. KRAUEL privatim *artem obstetriciam* d. Lun., Mart., Jov., Ven. hor. III—IV. docebit.

D. JO. FRID. GUIL. LESENBERG docebit: 1) *Encyclopädiam et methodologiam artis medicae*, 2) *artem obstetriciam*, 5) *Chirurgiam medicam*. Repetitoria et examinatoria quarumvis medicae artis partium offert.

D. CAROLUS HANMANN 1) gratis *doctrinam de morbis aurium et cognoscendis et curandis*, 2) privatim *chirurgiae partem alteram et ophthalmiam ducibus Chelio ac Beck* cum exercitationibus operativis et repetitoris offert.

D. JOANNES SCHROEDER privatim 1) *Medicinam forensem*, 2) *Meteorologiam* respectu ad scientiam medicam habito, 3) de *morbis syphiliticis* gratis disseret.

PHILOSOPHICAE:

D. CAROLUS WEINHOLTZ privatim 1) *Logicam empiricam*, ex systemate suo, 2) *juris naturalis institutiones* docebit.

D. P. STROEMER tractabit 1) *Mechanicam*, inde a primis initiis methodo geometrica instituendam, usque ad calculum de effectu machinarum variarum; 2) gratuito, *problema ballisticum*, cuius impensis splendidam experimentorum historiam enarrabit, paucissimis, quibus placuerit, propositurus theoriam interiorem analyticam.

Bibliotheca et Museum quovis Mercurii et Saturni die aperiuntur. *Gallicam*, *Anglicam*, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem *equitandi*, *pingendi* et *musicam* doceant.

Domicilia commoda quaerentibus monstrabit **J. H. Schulze**; Academiae nuncius juratus.

Summo academie magistratu hoc tempore fungitur

Dr. Carolus Fridericus Augustus Frützsche, Theol.

Prof. Publ. Ordin.

Praesidet ordini Theologorum **A. Th. Hartmann**, Ph. et

Th. D. — **Jurisconsultorum** **F. Kaemmerer**, J. U. D. —

Medicorum **H. Spitta**, M. D. — **Philosophorum**

E. D. H. Becker, Ph. D.